



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus LXVI. [i.e. XLVI.] De observantia jejuniorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

Repetentes in presenti, Panormitan. *notab. 1.* Joannes Andreas *num. 2.* Anti de Butrio *num. 4.* Ancharanus *num. 1.* Ugolinius *de simon. tabul. 1. cap. 38.* Azor *1. p. instr. lib. 9. c. 8. quest. 7.* Sed contrarium rectius docuerunt Doctores supra probandi ratione adducti; quia falsum est, committi simoniam quoties in re, aut ex re aliqua spirituali intenditur tanquam finis principalis lucrum temporale, nisi intendatur tanquam premium rei spiritualis, nisi enim pretii ratio intercedat, nec venditio, neque emptio dari valet. Nec sane in communi hominum sensu elemosynas ex reliquiarum ostensione querere, est illas aut pretio aestimare, aut vendere: immo iste finis principalis elemosynarum vix fuerit mortalis, quia est tantum culpa prava ordinationis ad finem. Ea autem quando finis non est mortalis, non habet nisi malitiam venialem, ut docent Cajetanus *2. 2. q. 148. art. 2.* Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 3. num. 1.* Si autem primo, & principaliter reliquiae vendantur, simonia committitur; nam illae non aliunde sunt aestimabiles, quam relatione ad sanctam animam, & quia membra hominis sancti fuerunt, unde recenseri non debent inter ea, quae sunt antecederentur annexa spiritualibus, cum ipsae in se sint aliquid spirituale, ut probat Gibalinus *de simon. quest. 12. conclus. 4.* Nec obstat secunda difficultas deducta ex fundamentis haereticorum, quae sicut ex sola impietate depromuntur, ita facile dissolvuntur: fatemur enim Deum voluisse latere sepulchrum Moysis, ne à Judaeis tanquam Deus adoraretur, & sic laberentur in idolatriam; non tamen ne Prophetas, & Dei famulus adoraretur. Inter haec autem dis-

crimen hoc adest, quod adoratio soli Deo debetur; veneratio verò debetur Sanctis, tanquam ejus famulis, ita ut veneratio in eorum persona Deo referatur. D. Thomas *3. part. quest. 25. art. 6. ad 1.* Quod autem voluerit Deus corpus Moysis ex praedicta ratione latere, docuerunt Philo Judaeus *lib. 3. de vita Moysis, ad finem.* Histor. Scholast. *Deuteron. cap. 20.* Theodoretus *in Deut. tom. 1. q. 43.* & ibi: *in cap. 23.* Cajetanus, & Oleati. Difficultas etiam deducta ex dictis locis Matthaei, & Lucae variè à Patribus refellitur: placet expositio Cajetani *in Matthaeum. c. 23.* dum ait: Qui sepelit occisum, potest hoc facere vel ut mortuum honoret, vel ut compleat actum homicidiae. Sepeliit Enoch Adamum, ut illum honoraret: sepeliit Cain Abelem, ut scelus lateret: Judaei autem etiam dicent se edificare sepulchra Prophetarum, ut eos honorarent, facto tamen contrarium indicabant, & propterea jure reprehenduntur, quod sub specie religionis Prophetas insectarentur, prout docuit eventus; quia Christum ejusque discipulos perdidit. Nec tandem obstat, quod Haeretici expendunt, videlicet Christum Dominum nunquam reliquiarum venerationem praecipisse; nam non recte arguitur: Christus Dominus hoc non praecipit: ergo à nobis faciendum non est; siquidem ubi actio suaapte natura bona est, fieri debet ex praecipito generali, quo tenemur bonum operari: at reliquias colere actio est sancta, ut patet ex haecenus dictis: ergo etsi praecipit à Christo non reperitur, praecipit cum Ecclesia canonibus statuta reperitur, observari debet, ut probat Riccius *lib. 1. lucub. cap. 10.*

TITULUS LXVI.

De observantia jejuniorum

CAPUT I.

Innocent. III *Clericis Sancti Petri, & (a) Magdalon.*

EX parte vestra fuit questum à nobis, utrum si (b) nativitatem Domini, vel (c) assumptionem Beatae Mariae, vel festivitatem alicujus Apostolorum in secunda feria contigerit evenire, die Sabbathi praecedenti vigiliam debeat jejunari? & utrum in Beati Matthiae Apostoli vigilia sit jejunium injungendum? Ad quod breviter duximus respondendum, quod die Sabbathi festivitates praelibatas secundae feriae praecedenti, & (d) B. Matthiae Apostoli debet vigilia jejunari.

NOTAE.

(a) *Magdalon.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 1. & in cap. ex parte, de celebr. Missar.* ubi extat alia pars hujus textus, ut ibi notavi.

(b) *Nativitatem Domini.*] De qua festivitate agemus infra *in cap. final. & nonnulla adduxi in cap. ex parte, de celebr. Missar.*

D. D. Gonzal. in *Decretal. Tom. III. Pars II.*

(c) *Assumptione Beatae Mariae.*] Cujus festivitatis institutio non est juris divini, ut voluit Joannes Andreas *in capite licet, de feriis;* sed ab ipsis Apostolis statuta fuit, ut probant Suarez *tom. 1. de relig. tract. 2. de Sanctis, cap. 8. num. 24.* Azor *p. 2. Inst. moral. lib. 1. cap. 20. q. 1. §. Ceterum;* Acunna *in cap. final. 70. dist. Herrera de orig. divin. offic. lib. 2. cap. 60.* hujusque festivitatis mentio fit *in capite pronuntiandum, de consecr.*

*distinct. 3. cap. conquestus, de feriis: & plura de hoc sacro mysterio piè, & doctè concessit Tama-
mayus à Salazar tom. 4. in Martyrolog. die 15.
Augusti.*

2. (b) *Beati Matthie.* Ratio dubitandi ex eo proveniebat; nam cum D. Matthias non fuisset à Christo Domino nostro in Apostolum electus sed postea ab Apostolis in locum Judæ proditoris fuisset suffectus, ut probabimus in *cap. final. de forileg.* à quibusdam ambigebatur, an pro Apostolo quoad omnia habendus esset? Et cum in Apostoli locum esset suffectus, pro Apostoloque haberetur, ideo Innocentius in præfenti docet, in ejus vigilia jejunandum esse, ut in aliis Apostolorum vigiliis.

COMMENTARIUM.

3. *Conclusio traditur, & illustratur.*
EX hoc textu sequens deducitur assertio: *Vigilia alicujus sancti occurrente die Dominico, jejunari debet in Sabbatho.* Non est similis decisio in jure, quâ ab specie probari possit hæc conclusio; per argumentum tamen firmari valet ex *cap. jejunium, cap. placuit, cap. ne quis, cum sequenti, de consecr. dist. 3. cap. post Pascha, 76. dist. cap. sacerdos 26. quest. 7. cap. si quis tanquam, cap. si quis presbyter, 30. dist.* Ex sancto Epiphani in *compend. fidei exposit. num. 22. ibi: Qui pietati student, egregia quadam laudabili voluntate perpetuò (solis Dominicis, ac Pentecostes diebus exceptis,) jejunia sibi, ac vigilia imponunt.* Sancto Alexandro in *canones, cap. 15. S. Ambrosio epist. ad Episcopos Emilia, ibi: Dominicam autem celebrare non possumus, quia Manichæos etiam ob istius diei jejunia jure damnamus.* S. Augustino *epist. 86. Die Dominico jejunare scandalum est: & epist. 119. Gregorius II. in capitul. ad Martinianum, aliosque suos in Bajoriam Legatos, cap. 10. ait: Ut fideles doceantur Dominicis diebus non licere omnino jejunare.* S. Ignatius *epist. ad Philip. Tertul. de coronamilit. & in Apolog. cap. 16. Damascenus lib. de jejunio, P. Damianus opusc. 14. 6. tit. 23. p. 1. Illustrant ultra congestos à Barb. & Garanna in præfenti, Hæphtenus *disquisit. monast. libro 10. tract. 7. disquis. 6. P. Gregorius lib. 1. part. 11. 28. cap. 3. & lib. 2. syntag. cap. 18. Baronius anno Christi 78. num. 73. Acunna in cap. de jejunio, 73. distinct.**

4. *Impugnatur tradita assertio.*
Sed præfens assertio difficilis valde redditur sequenti consideratione, nam jejunium quantum acceptum Deo sit, nemo est, qui nesciat, si quidem ait D. Ambrosius *de Elia, & jejunio*, quod jejunium est substantia cœlestis, vita Angelorum, radix gratiæ, & fundamentum castitatis: & D. Hieronymus in *epist. illud commendans ait: Sollicitè advertendum est, ut quos futuritas de paradiso expulit, reducat esurios.* Aliis auctoritatibus probat Ant. Augustinus in *epist. lib. 22. titul. 1. præcipuè si cum oratione conjungatur, juxta illud Tobia: cap. 12. Bona est oratio cum jejunio, & elemosyna.* Judith *cap. 2. Scitote, quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si permaneritis in jejunio, & orationibus.* Unde ait D. Chrysost. in *cap. 6. D. Matthæi: Sicut nec miles sine armis aliquid, nec arma sine milite, sic nec oratio sine jejunio, nec jejunium sine oratione.* D. Augustinus *serm. 230. de tempore: jejunium concupiscentia nebulas dispergit, libidinum ardorem extinguunt; jejunium verbositate non amat.* Plura Novarinus *lib. 6. aqua nupt. cap. 98. Sed dies*

Dominicus specialiter orationi dicatus est, ut probavi in *cap. 16. de feriis: igitur & jejunio aptus est, & per consequens si in eo occurrat vigilia alicujus Sancti, jejunari potest.* Auguetur hæc difficultas ex *capite nriam, 76. distinct.* ubi ait D. Hieronymus: *Utinam omni tempore jejunare possim.* Igitur nihil interest, quod in die Dominico, vel alia die jejunium incidat. Et D. Paulum cum aliis etiam diebus Dominicis jejunasse, refertur *Actuum Apostol. cap. 17.*

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præfens assertio, pro cujus expositione sciendum est, primis Ecclesiæ sæculis apud fideles moris fuisse, ut in infestivitatibus Domini no-
stri, & Sanctorum ejus ad gratiam promerendam, & impetrandam, aliquibus piis actionibus, & orationibus in vespere festivitatis Christiani exercerentur, veluti vigiliis, stationibus, & jejniis; quæ ut omnibus innotescerent, inter concionandum statuta jejuniorum, ac vigilarum tempora nuntiari, probat Ferrarius *de ritu concionandi cap. 28. & de his sigillatim agamus.* Ad vigilia enim, tam clerici, quam laici utriusque sexus accedebant, in Ecclesiis, seu Martyrum cæmetæris continuè in oratione perorantes. D. Basilii in *psalmo 114. ibi: Jam inde ex media nocte venientes, ad sacrum Martyrum templum, Deum ipsum Martyrum per hymnos laudantes sustinuisistis usque ad hanc diem nostrum adventum expectantes. Vobis quidem igitur, & somni, & quietis, quæ in honorem Martyrum, & Dei adorationem impendistis, præsto est.* Plura de his vigiliis congesterunt Joannes Dartis *de panitent. cap. 22. Durand. lib. 3. de ritibus, cap. 4. & 5. Francolinus de bonis canonicis, cap. 1. 2. 4. & 5. Bernacius lib. 1. de hor. can. cap. 20. Herrera de orig. divin. offic. lib. 2. cap. 17. & nos adduximus in *cau. 35. Concilii Illiber.* quæ huc repetere non licet. Ad stationes ergo deveniamus. Et sciendum est, stationis verbum castrensium esse, seu à re militari traditum; nam milites, qui à loco ubi excubabant, progredi nequebant, stationes facere dicebantur, & in statione esse, Tertul. in *apolog. cap. 2. ibi: Latronibus vestigandis per universas provincias militaria statio sortitur.* Statius *Papinius lib. 12. Thebaid.**

*Immisso castro statio horrida somno
Vigiles simul excitat illic.*

Virgilius lib. 4. e. Æneid.

Succedunt, servanque, viçes, statione relictâ.

Itaque statio accipitur pro loco ad excubias agendas destinato, eo quod in eo cogantur milites stare, nec possint illum relinquere. Suetonius in *Tiberium, ibi: Stationes militum per Italiam solito frequentiores dispositæ; id est loca plura, quibus milites starent.* Hinc milites stationarii dicuntur in *l. 1. C. de cohort. lib. 22. l. 1. C. de irenarchis, lib. 10. l. 1. §. est etiam ff. de servis fugit. l. 1. §. quies, ff. de offic. Prefecti. vigil. Illustrant Pancirola *lib. 2. variar. cap. 266. Bulengerus lib. 6. de Imperat. cap. 32. aliquando tamen statio accipitur pro loco ubi sistitur alicujus muneris causa, ut ut item apud Labeonem, §. convitiis, ff. de injuriis, l. Fulcinius 7. §. illud, ff. ex quibus causis majores, l. ne quis 6. C. de dignit. lib. 12. veluti administrationis fiscalis causa, l. 1. C. ne sicuti rem quam vendit, l. 5. C. de vecligal. Illustrat Amaya in *d. l. 1. num. 1. vel saltem***

saltem confabulationis gratiâ, ut apud Juvenalem *satyr. 3.*

Convictus, thermæ, stationes, omne theatrum. Junctis Valeſio in *not. ad Marcellinum, fol. 10.* Revardo *lib. 4. variar. cap. 7.* Briffonio *lib. 2. ſeſt. cap. 12.* Cujacio *lib. 1. observ. cap. 13.* Turturet. *diſſert. 28. juridica.* Similiter ergo apud Chriſtianos ſtatio accipitur pro permanentia in Eccleſia uſque ad certam horam, videlicet nonam: nam primis illis Eccleſiæ ſæculis, diebus jejunii fideles in Eccleſia conveniebant, ibique uſque ad horam nonam morabantur, orationi, & divinarum rerum contemplationi vacantes, corporaque jejunii, & geniculatiombus, lachrymiſque exercentes. Denique horâ nonâ, Euchariftiâ acceptâ ſtationem ſolvebant. Tertul. *lib. 2. ad uxorem, cap. 4.* ibi: *Si ſtatio faciendâ eſt de die, maritus conducat ad balneâ: ſi jejunia observanda ſunt, maritus eodem die convivium exerceat.* Ubi appoſitè ponit ſtationem cum balneis, quia ſicut Chriſtiani manè conveniebant in Eccleſia, ut antelucanos cœtus celebrarent, ſtationemque inciperent: ita Gentiles ſummo mane ad balnea procedebant. Idem Tertullianus in *Apolog. cap. 42.* & *de corona militis,* ipſarum ſtationum meminit, ibi: *Cum ſtationibus quartam, & ſextam Sabbathi dicimus.* Quam locum exponit Boſquetus in *notis ad Innocent. III. lib. 2. epiſt. 18.* In ſt. t. onibus autem ſaſciis orabant de geniculis, id eſt in genua provoluti; non autem ſtantes; nam quoties diebus meroris, & triſtitia, ut in diebus jejunii, orandum erat, toto corpore jacentes orabant; unde nec diebus Dominicis, nec à tempore Paſchæ uſque ad Pentecoſten ſtationes habebantur. Tertul. *de jejunii cap. 10.* ibi: *Die Dominica nefas dicimus de geniculis adorare; eadem immunitate à die Paſchæ in Pentecoſten uſque gaudemus.* Et *cap. 2. de feriis.* Oratio igitur jungebatur cum jejunio, quia ut ait Divus Cyprianus de operibus Chriſti, *efficax eſt oratio precedente jejunio, & ſacris jejunii antecedentibus, non patitur poſtulatō devota repulſam.* Unde quia in ipſo jejunii die ſtatio tenebatur, jejunium aliquando appellatur ſtatio. Tertul. *de anima, cap. 42.* ubi de jejuniiſ agens ait: *Daniel triſim hebdomadarum ſtatione aruit victu.* D. Hieronymus adverſus Jovinianum: *Saul (inquit) ſicut in libro 1. Regum ſcribitur maledictus inquit, qui ederet panem uſque ad vesp̄ram, donec ulceſcar me de inimicis meis; & non guſtavit omnis populus ejus, & tōra terra prandebat, tantique fuit auctoritas ſtationis.* Illuſtrat Baronius *anno 57. num. 198.* Diſcrimen tamen illud dabatur inter jejunium, & ſtationem; nam jejunium ex præcepto, ſtatio ex devotione tenebatur, ut contra Pamelium probat Albaſpincus *lib. 1. observat. cap. 16.* Solvebatur autem ſtatio acceptâ communionē corporis Chriſti, ideoque niſi præfacto ſacrificio Euchariftiâ non ſumebatur, quia eâ acceptâ non poterant in ſtatu meroris, & genuflexionis permanere. Tertul. in *lib. de orat. ibi: Similiter de ſtationum diebus non putant plerique ſacrificiorum orationibus interveniendum, quod ſtatio ſolvenda ſit accepto corpore Domini. Ergo devotum Deo obſequium Euchariftiâ reſolvit, an magis Deo obligat? nonne ſolemnior erit ſtatio tua, ſi ad aram Dei ſteteris, accepto corpore Domini? & reſervato? Utrumque ſubvum eſt, & participatio ſacri, & exercitio offi-*

vi. Proſequuntur Albaſpincus *ſuprà,* Boſquetus *ad Innocent. lib. 2. epiſt. 18.* Stationes tandem à jejuniorum diebus ſanctus Gregorius ſeparavit, qui juſſit, ſtationes in Dominicis diebus Adventus, & Quadrageſimæ certis in locis fieri, ut refert Joan. Diaconus in *vita ipſius Sancti, lib. 7. cap. 18.* quam conſuetudinem & hodie ſervari plerique in locis refert Bellarminus *de jejun. lib. 1. cap. 22.* Franc. Maria Florent. in *notis ad Martyrol. exercit. 2.*

Tandem in his vigiliis majorum feſtivitatum fideles jejunabant: cujus jejunii formam, & leges ut exponamus, ſciendum eſt, quod licet jejunium aliquando metaphorice accipiatur pro abſtinentiâ à culpis, & vitiis, ut apud Iſaiam *cap. 58. ibi: Nonne hoc eſt magis jejunium, quod elegi, diſſolvere colligationes impetratis?* Alexandrum *lib. 6. ſtomacum,* D. Hieronymum in *Matthæum, cap. 7. ibi: Jejunium eſt non ſolum ab eſcis, ſed à canctis illecebris abſtinere.* D. Auguſtinum *lib. 2. in Evangelia, quaſt. 18. ibi: Sacra Scriptura docet generale jejunium non à concupiſcentiâ ciborum tantum, ſed ab omni laſtitiâ temporalium delectationum.* Tamen in præſenti jejunium accipitur pro abſtinentiâ à cibo, quod Græci *meſia,* id eſt mediam appellant, quod ita vulgò deſignatur: Jejunium Eccleſiaſticum eſt abſtinentiâ cibi, ſecundum Eccleſiæ regulam aſſumpta. Probat Petrus Gregorius *lib. 2. ſynag. cap. 18.* Fagundez in *4. Eccleſ. præceptum, cap. 1.* Dicitur abſtinentiâ cibi, quia alia quæ trahuntur ad ſtomachum, veluti pharmaca, & alia, quæ non ſumuntur per modum cibi, jejunium non ſolvunt. Bellarm. *lib. 1. de jejun. cap. 1.* Beyerlinch. in *theatro, verbo Jejunium, tom. 4.* nec etiam aqua, immò nec potio chocolatica, ut defendit Thomas Hurtado in ſpeciali opusculo de potione edito. Olim tamen primis Eccleſiæ florentis temporibus jejunantes non ſolum à cibo, ſed potu abſtinuiſſe, virginemque ſalviam jejunii conſtituto ſpatio conſervaviſſe, conſtat ex Tertulliano *de jejunii, cap. 6.* *Ipsâ natura enuntiabit, quales nos ante pabulum, & potum in virgine adhuc ſalva exhibere conſuevit.* Unde legimus in actibus S. Fructuoſi Martyris, cum ei poculum fratres offerrent, quo martyr recrearetur, immò & muniretur, conſtanter, cum jejunaviſſet, recuſaſſe. Prudentius in *ejus natali, ibi.*

*Jejunamus, inquit, recuſo potum
Nondum nona diem reſolvit hora.*

Obſervavit Ambianas ad Tertul. *de jejun. cap. 10. obſ. 4.* & ita jejunantes à vino abſtinebant, niſi infirmitas aliud expoſceret, ut probat Theodulphus in *ſuis capitul. cap. 40.* cui titulus eſt, *A quibus abſtinendum eſt, cum jejunatur: & ita loquitur: Abſtinentiâ in his diebus omnium delectiarum eſſe debet, qui vino abſtinere poteſt, magne virtutis eſt, qui autem infirmitate interveniente abſtinere non poteſt, eo utatur.* Et quia nonnulli vino abſtinentes variis potionibus illud imitabantur, eoſ reprehendit S. Gregorius Nyſſenus *orat. de jejunio,* dum ait: *Multi vinum ingenioſè imitantur, ſuamque cupidiatē ſacilitis quibusdam potionibus conſolantur.* Quæ verba non malè noſtro ſæculo ad potionem chocolaticam expendi poterant. Dicitur etiam in definitione, *ſecundum Eccleſiæ regulam:* ex quo patet, non quancunque abſtinentiam eſſe jejunium eccleſiaſticum, ſed illud quod ſecundum regulam Eccleſiæ ſervatur, ſecundum quam duo deſiderantur: Primum,

ut qui jejuntant, modò prandant, modò cœnent, semel dumtaxat in die reficiantur, *cap. sint 20. cap. Quadragesima, de consecr. dist. 5.* Viringius de jejuniis *lib. 3. cap. 3.* Secundum ut ciborum delectu in ea comestione utantur. Bellarminus, & Fagundez *ubi supra.*

7.
De unica
cibi sumptione, &
collatione.

Igitur prima, præcipuaque lex jejunii consistit in unica comestione, quam ut exponamus, sciendum est, dubium esse, an veteres semel, aut bis cibum sumerent? Et semel tantum cœnasse, suadetur ex *Servio ad lib. 4. Virgil. ibi: In usu non erant prandia.* Quem sequuntur *Isidorus lib. 2. etym. cap. 20. ibi: Est autem cœna vespertinus cibus, quem vespertinam antiqui dicebant: in usu non erant prandia.* *Salvianus lib. 1. de provid. Dei, ibi: Nunquid parcam illam agrestem vitam, quam cum genuit. & dolore tolerabant, cum viles, & rusticos cibos ante ipsos, quibus coxerunt, fucos sumerent, eosque capere, nisi ad vespertinam non liceret.* *Expresius Cassiodorus in psalmo 14. ibi: Antiquis mos erat semel cibum sumere.* *Amonius concion. in Dominic. 2. post Trinit. ibi: Antiqui enim solummodo una vice comedeabant.* *Seneca epist. 112. Quare cum perditos Romanorum mores sua tempestate notaret Silius Italicus lib. 11. de merid. symposio, ait:*

*Medioque dierum
Regales epula, atque ortu convivium solis
Deprebensa.*

Deque simili vitio *Tacitus lib. 1. annal. cap. 12.* ita ait: *Torpebat Vitellius, & fortunam Principatus inertis luxu, ac prodigis epulis præsumebat medio diei temulentus, & sagina gravatus.* *Probant Salmutius ad Pancirculam lib. 1. memorab. tit. 51.* *Savarus ad Sidonium lib. 6. epist. 12.* *Buengerus lib. 1. de conviviis, cap. 6.* *Scherlogus tom. 2. in Cantica, vestig. 8. sect. 2. num. 14.* *Contrarium tamen, immò veteres sapius in die cibum cepisse, probant Stuckius lib. 1. antiquit. conviv. cap. 11.* *Beoraldis in annor. ad Servium, §. 24.* *Muretus lib. 4. variar. cap. 12.* *Lælius Bisciola horar. success. lib. 9. cap. 15.* *Savarus ad Sidonium lib. 7. epist. 14.* *Rofinus lib. 5. antiquit. Roman. cap. 26.* & de Romanis facile probatur ex *Plutarcho lib. 8. sympos. cap. 6. ibi: Scorsim solebant prandere antiqui Romani, canare cum amicis.* De Græcis testis est *Jul. Pollux lib. 6. cap. 6.* De Italis *Cicero quæst. 5. Tuscul. & expresse constat ex Valerio Maximo lib. 2. cap. 1.* Sed dicendum est, veteres non semel, sed pluries in die cibum sumpsisse, videlicet jentaculum, prandium, merendam, & cœnam; sed non ita splendide, & cum apparatu, ut in cœna: probatate *Demeterius ad Rosinum d. lib. 5. cap. 27.* auctores enim prioris sententiæ, qui negant prandia apud veteres in usu fuisse, accipiendi sunt de cibo, quem antiqui non sumebant meridie, sed horâ nonâ, ideoque cœnam appellabant. Ex quibus omnibus constat jejunantes unam tantum in die refectiorem sumpsisse, quæ appellabatur cœna, ut constat ex *D. Paulino epist. 24. ad Amandum, B. Augustino sermon. 62. de tempore, & aliis sanctis Patribus congestis à Bellarmino d. lib. 1. de jejuniis. cap. 2.* Illustrant *Fagundez ubi supra, Covar. lib. 1. variar. cap. 20.* Sed cum nostrâ imbecillitate factum sit, ut ad meridiem cibum sumamus, consuetudine introducta fuit collatio serotina, quod verbum *collatio*, à monachis accepimus; solebant enim monachi post cœnam

certâ horâ inter se de factis Scripturis disputare, quam horam collationem appellabant. *Honorius Augustod. lib. 2. in gemma animæ, cap. 63. ibi: Quod religiosi ad collationem conveniunt, hoc à sanctis Patribus acceperunt, qui in vespere solebant in unum convenire, & de Scripturis aliquid conferre, unde collationes dicebantur.* *Smaragdus cap. 42.* *Collatio dicitur consilio, collocatio, vel confabulatio, ubi de scripturis divinis aliis respondentibus interrogationes conferuntur.* De hoc collatione agunt *S. Pachomius in sua regula, cap. 7.* *Basiliius sua regula cap. 54.* *D. Benedictus cap. 42.* ubi ita cævet: *Omnino tempore, sive jejuniis, sive prandii, si tempus fuerit prandii, mox ut surrexerit à cœna, sedant omnes in unum, & legat unus collationes, vel orationes Patrum.* *Concil. Mogunt. can. 6.* *plura Hæzptenus disquisit. monast. lib. 9. tract. 5. disquisit. 2.* Postquam igitur consuetudine, vel humana imbecillitate jejuniis cepit relaxari meride, simul quoque à monachis mos admixtus fuit, ad vespertinam semel bibendi, & fructum aliquod panis sumendi; atque ut id ordinatè fieret, atque cum minori temporis dispendio, legi cepit lectio collationis in refectorio eo tempore, quo levis illa cœnula peragebatur; atque hinc tam apud monachos, quam seculares usus obtinuit, ut refectiuncula illa collatio appellaretur, ne viderentur Christiani ad cœnam congregari, quam in die jejunii duplicare non licebat: modestiori vocabulo rem honestantes dicimus ad collationem convenire. Unde obiter intelligitur difficultis canon Concilii Nannet. relati in *cap. quando, 44. dist. in illis verbis: Quando præberi per Kalendas simul conveniunt, post peractum divinum ministerium, ad necessariam collationem, non quasi ad plenam refectiorem, sed quasi ad prandium, ubi ad tabulas resideant.* Ubi jubetur, ut sacerdotes post divinum ministerium peractum ad collationem, non quasi ad plenum prandium accedant; hoc est, tantum ad refectiunculam, non verò ad convivium; jubetur etiam, ut persistant ad disputationem; & quia ex rebus, & articulis contentis in tabulis disputationis faciendæ erat, statuitur, ut resideant ad tabulas. Quem morem in Ecclesia per 400. annos servatum fuisse constat ex Concilio Aquigran. *can. 123. ibi: Ad collationem veniant, ubi & hanc constitutionem, & aliarum scripturarum lectiones perlegant, & pro admixtis veniam postulent, & sententiam pro qualitate debiti suscipiant.* Concilium Mogunt. temporibus Leonis III. celebratum anno 813. *cap. 9.* Concilium Colonienfe sub *Conrado. Illustrant, & exponunt textum in dicto cap. quando, Filicæ de Quadrag. cap. 6.* *Hæzptenus lib. 9. disquisit. monast. tract. 1. disquisit. 2.*

Desideratur etiam, ut unica cibi sumptio fiat tempeste, & horâ competenti; alii qui horam legitimam non servat, peccat lethaliter, ut docent Theologi cum *D. Thoma 2. 2. q. 147. artic. 7.* alii congesti à *Covar. d. cap. 20.* *Fagund. supra, d. cap. 3.* Quæ autem diei hora competens dicatur, in dubio est. Et nullam horam ab Ecclesia præfinitam esse voluerunt *Angelus in summa, verbo jejuniis, Abbas Panormit. in presentibus.* Sed verius est, semper certam præfinitam fuisse horam ad solvendum jejuniis, licet pro temporis varietate diversa fuisset in hac parte Ecclesie auctori-

disciplina. Nam primis saeculis usque ad quintum fideles jejunium protraherant usque ad noctem, sive ut Tertullianus de jejuniis ait, usque ad auctoritatem demorantis stelle: & ita ad vesperam nocte appropinquante solvebatur jejunium. Concil. Brachar. 1. can. 16. Brachar. 2. can. 9. Mogunt. 1. can. 34. Triburienae apud Ivonem p. 10. cap. 15. Babilon. in cap. solent, de consecr. dist. 1. D. Athanasius de virgin. ibi: *Post communionem hora nona comede panem tuum, gratias agens Deo super mensam tuam*. S. Benedictus cap. 41. *sua regula*, ibi: *Quinta, & sexta feris jejunent usque ad nonam*. D. Augustin. lib. de morib. Eccles. cap. 39. ibi: *Jejunia etiam prorsus incredibilia multis exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, quod est usquequaque refatissimum; sed continentium triduum, vel amplius sepius*. D. Bernardus serm. 3. de Quadrage. *Hactenus jejunamus usque ad nonam*. Paulinus, & Chrysostomus apud Belarminum d. cap. 2. de jejuniis. Cassianus collat. 2. cap. 26. *Ideoque commodum satis & utile horum nona refectiois tempus indultum est*. Cabilon. cap. 5. Prudentius in hymno S. Eruktosf.

Jejunamus, ait, recesso potum:

Nondum nona diem regnat hora.

Alii relati à Rosvveido in Onomast. verbo Nona; probant Covar. d. cap. 20. num. 14. Cironius ad hunc titulum. Filescus de Quadrage. cap. 5. Azor. p. 1. insu. lib. 7. cap. 11. Albalpineus lib. 1. obs. cap. 14. Savarus in notis ad Sidon. lib. 6. epist. 12. & lib. 7. epist. 14. Scortia in select. theor. 20. epist. 90. Salmutius ad Pancirolam d. lib. 1. tit. 51. Pamel. ad Tertull. in apolog. cap. 39. Theophilus tom. 10. in Rosa Mediana, fol. 468. Narbona hora 9. Gazæus ad Cassianum collat. 19. cap. 16. Menardus ad D. Gregor. fol. 52. verbo *Caput jejuniis*. Aloix ad vitam S. Abrucis, cap. 7. Et quia hora nona jejunantes cibum fumebant, comestio illa non prandium, sed cœna dicebatur, ut apud Romanos, quia eadem hora, quâ epulabantur, cœna dicebatur. Horatius lib. 7. od. 14. Ex Isidoro, Aimone, & aliis supra probavi. Postea autem communi consuetudine introductum est, ut hora sexta, id est meridie, jejunium solvatur, ut probant Covar. & Fagundes ubi supra, qui docent, ex justa causa posse postponi, & præponi horam communiter receptam solvendi jejunium. De alia conditione jejuniis, videlicet delectu ciborum, agemus infra in cap. 2.

9. Si initium, & progressum jejunii requiramus, constat ab ipso mundi exordio originem trahere: siquidem dum Dominus primos parentes creavit, legem imposuit non gustandi de arbore boni, & mali; verum ipsi voluntati potiùs, quàm Deo cesserunt, & pabulo potiùs, quàm præcepto annuentes, gulâ salutem universi generis vendiderunt: manducaverunt denique, & perierunt; unde licet ex tunc jejunium Dominus non præcepisset; ostendens tamen unde fuisset peccati causa, reliquit facile intelligendum remedium offensæ, innuens placituras illi abstinentiæ curam, à quo damnatam omnes comperissent incontinentiæ culpam. Deinde ubi jam populus Judaicus post diluvium congregari cepit, varia jejunia observavit; alia communia, seu publica; alia privata. Communia duplicia; aut statuta, aut ordinaria, quæ ob minantem calamitatem indiciebantur. De prioribus intelligitur illud Zachariæ S. vers. 19. *Indicantur quatuor jejunia, videlicet jejunium quartum, & jejunium quintum; & jejunium*

Jejunium & jejunium decimum mensis. Quæ servabantur à Judæis, ut docent D. Hieronymus, Rupertus in eundem locum. Torniel. anno mundi 2545. num. 42. Jejuniorum extraordinariorum exemplum extant Paralip. 2. cap. 20. ubi Josaphat Rex indixit jejunium universo populo, quando Moabitarum veniebant contra illum. Et i. *Esdra cap. 1*. dum Esdras pro felicitate itineris, quando ex consensu Regis Artaxerxis à captivitate Babylonica profectus est in Hierusalem, jejunium indixit: & alia, quæ retuli in can. 23. Concilii Illiber. Solennia etiam jejunia Pagani observaverunt: hinc Horatius satyr. 3. lib. 2.

*Jupiter ingentes, qui das admisque dolores,
Mater ait pueri mens jam quinque cubantis,
Frigida si puerum quartana reliquerit illo
Mane die, quo tu indicis jejunia, nudus
In Tiberi stabit.*

Ita Livius lib. 36. *Eorum prodigiorum causa libros Sibyllinos ex Senatus consulto Decemviri cum adisferi, renunciarunt instituendum jejunium ceteri esse, & id quinto quoque anno servandum*. In lege Grætiæ varia jejunia instituta esse ab Ecclesia, probavi in can. 23. Concilii Illiber. Et refert Aloix ad Sircum cap. 11. Theophilus tom. 10. in Rosa Mediana, ubi fufè de jejuniis in quadragesima agit: Turrianus pro canon. lib. 1. cap. 3. & 4. Et inter ea præcipua sunt jejunia, quæ in vigiliis majorum festivitatum servantur, de quibus in præfenti agitur.

10. His animadvertis appareat ratio præfentis deificationis, quare videlicet cum festivitas occurrit Tradiatur ratio decidendi. feriâ secundâ, jejunandum sit in Sabbato, non in die Dominico? Et duplex assignari potest. Prima deducta ex festivitate diei Dominici, & lætitiæ resurrectionis Dominicæ, quæ in eo celebratur. Quam rationem expressit Cassianus collat. 21. cap. 20. ibi: *Diem Dominicam custodimus, in qua majores nostri, nec jejunium agendum, nec genus esse stultendum ob reverentiam resurrectionis Dominicæ tradiderunt. Facit Tertull. de coron. milit. cap. 3. ibi: Diebus Dominicis jejunare nefas dicimus*. Non enim festivitas tanti diei cum jejuniis, & mœrore compati potest, ut agebat P. Damianus opuscul. 55. cap. 5. ibi: *Cum solennitate jejunium convenire non potest, & apud quorundam examen sub festivitatis præfentia jejunium vires non habet, sed semper festivitas prævaleat*. D. Thomas 2. 2. q. 147. art. 5. ad 3. ubi ait: *Jejunia, quæ præcepto Ecclesiæ instituntur, cum sint magis jejunia afflictionis, quàm exultationis, non conveniunt in diebus lætitiæ*. Accedit, nam in die jejunii omni consolatione etiam spirituali fideles olim privabantur, ideoque non dabatur inter eos osculum pacis. Tertull. de oratione, ibi: *Sic & die Pasche, quo communis, & quasi publica religio jejunii est, merito deponimus osculum, nihil curantes de osculando*. Illustrat Albalpineus lib. 1. obs. cap. 17. Immo nec usque ad septimum Ecclesiæ sæculum, Eucharistiam accipere, nec adorare licebat usque ad horam nonam, quâ jejunium solvendum erat. Concil. Brachar. 1. can. 9. & 10. Brachar. 2. can. 9. refert Micrologus cap. 49. de Eccles. obs. & probat Albalpineus lib. 1. obs. cap. 14. cuius rei rationem assignant Balsam. & Zonaras in can. 52. 6. Synodi in Trullo; quia sacrificare Deo festivæ celebritatis est: unde hilaritas illa, seu lætitiâ, convenire non poterat cum mœrore jejunii, nec poterat unus idemque simul exultare lætitiâ, triumphare gaudio, ac læchetymis indulgere. Minus enim honestum veteres judicabant, cum mœrore jejunii lætitiâ susceptæ

fuscepta Eucharistia conjungere; non enim jejuniorum priscorum fidelium observantia consistebat in ciborum delectu, aut diminutione; sed in lachrymis, ac oratione; nam diebus jejunii perfecti omnes fideles manē ad Ecclesiam confluebant, horrido, cinereque conspersi sacco; & sic omni genere precum armati, cœlum ipsum oppugnabant, & ut ait Tertul. de oratione, *quasi manufacta cœlum tundimus, Deum rangimus*. Et ita cum hoc luctu, hisque lachrymis, Eucharistiam contabescere credebant. *Albaspineus ubi supra*. Quare & Græci tempore Quadragesimæ, & Annuntiationis B. Mariæ tantum, præsanctificatio non utebantur sacrificio, *cap. non oportet 33. quest. 4. Flesacus de Quadrag. cap. 33*. Aliam rationem præsentis assertionis assignat B. Ambrosius *epist. 83*. his verbis: *Dominica jejunare non possumus, quia Manichæos etiam ob istius diei jejunia jure damnamus*. Die enim Dominico Paulianista, & Montanista ex superstitione, Manichæi ex errore, Eustachiani ex contemptu jejunabant. Unde tot Ecclesiæ canonibus prohibitum fuit fidelibus diebus Dominis jejunare, ne viderentur cum hæreticis consentire. Concil. Gangrense *can. 18*. Carthag. *4. can. 64*. Cæsaraugust. *cap. 2*. Brachar. *1. can. 4*. Matiscen. *2. can. 1*. Aquisgran. *2. sub Ludovico op. ultima, cap. 17*. quorum verba refert Anton. August. *in epist. jur. lib. 20. tit. 30*. Illustrat Acunna *in cap. si quis tanquam, 34. dist. Bellarm. de bonis oper. lib. 1. de jejun. cap. 13*. Azor *tom. 1. instit. lib. 2. cap. 27*. Sanchez *in Decalog. tom. 1. lib. 2. cap. 37*. Turrianus *contra Magdeburg. lib. 1. cap. 25*. Unde in præfenti rectè Innocentius statuit, quod si vigilia alicujus sancti incidat in die Dominica, in die Sabbathi jejunetur.

11.
Dissolvitur dubitandi ratio.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam licet jejunium conjungendum sit cum oratione, non tamen rectè stat cum festivitate diei Dominicæ; quare licet jejunantes olim per totam noctem in vigilia, & statione essent orantes; non tamen Ecclesiæ Patres censuerunt, jejunium stare posse, & concurrere cum alacritate, quæ in die Dominico celebratur, & recollitur. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis deductum *ex d. cap. utinam*, ubi D. Hieronymus ait, quod utinam omnibus diebus jejunemus, ut fecit D. Paulus, quem & nonnullos Sanctos sequutos fuisse, constat ex traditis à Lessio *de instit. lib. 4. cap. 2. num. 68*. nam jejunium in die Dominica non simpliciter, & absolute est prohibitum, sed in odium Manichæorum, & aliorum hæreticorum, quos supra retuli: unde si non errore, superstitione, aut scandalo, saltem sedandi motus carnalis, aut alterius periculi vitandi causa, seu boni spiritualis gratiæ, ut fecisse D. Paulum explicat D. Augustinus *epist. 86*. etiam die Dominico jejunari potest, ut facile deducitur *ex cap. si quis 7. cap. final. 30. dist. Probant Bellarminus de jejunio cap. 23*. Theophilus Raynaud. *tom. 18. in Heteroocl. spirit. p. 3. punct. 2. fol. 413*. Thomas Sanchez *lib. 2. summa, cap. 37. num. 12*. Layman *lib. 4. summa, tract. 8. cap. 2. num. 9*. Bonacina *de precept. Eccles. quest. 1. punct. 5*. Serarius *in cap. 7. Judic. quest. 13. pronunc. 4*. Fagundes *in precept. 4. Eccles. cap. 5. num. 2*. Rectè tamen cum aliis notat Sanchez, negari non posse, quin ad superstitiosum, & superfluum cultum

speçet, vel studium singularitatis, die Dominico jejunare. Nec etiam proximè traditis obstat canon 64. collectionis Martini Bracharensis, in illis verbis: *Non licet quolibet clericis die Dominica absentem esse ab Ecclesia, sed Missarum solennibus interesse; Et jejunio*. Ex quibus ultimis verbis expresse deducitur, clericum debere in die Dominico jejunium observare: igitur quia eâ die licet jejunare. Pro cujus canonis expositione aliqui asseruerunt, loco illius verbi *jejunio*, legendum esse *jejunium*, ita ut sensus sit, quod sacerdos in die Dominico ad sit Missarum solennibus jejunus, quia alio modo Missæ sacrificium offerre non valet, juxta tradita *in cap. ex parte, de celebrat. Missar.* Alii docuerunt, in eo canone clericis juberi, ne die Dominico ab Ecclesia absentem causa interessendi Missarum solennibus, & jejunio; idest causa indicendi jejunium, si quod occurrit in hebdomada, juxta veterem morem ad nostra usque sæcula protrahendum indicendi jejunia à parcho in ipsa Missa parochiali diei Dominicæ, juxta Concil. Brachar. *2. can. 9*. Colonienf. sub Paulo III. *cap. 2. Et s. Altissiod. can. 2*. Trident. *sess. 25. de reform. cap. 10*. Sed verius est ea verba, *Et jejunio*, supposita esse, nec reperiri in collectione Loaytæ; immò etiam retineantur, facile exponi possunt juxta textum *in cap. 1. de celebrat. Missar.* ita ut Presbyter die Dominico in Ecclesia interesse debeat Missarum solennibus, & jejunio, idest in jejunio persistendo usque ad prænitam horam, ut necessitatibus peregrinorum, & infirmorum subvenire possit, juxta tradita *in d. cap. 1*.

Ex hujusque traditis lucem accipit textus *in can. 3. Concilii Gerund.* in illis verbis: *Item se-cunda Litania faciendæ sunt Kalend. Novemb. eâ tamen conditione servatâ, ut si eisdem diebus Dominica intercesserit, in alia hebdomada, secundum prioris abstinentiæ observantiam à quinta feria incipiatur. Et in Sabbato vespere Missa factâ fi-niantur. Quibus tamen diebus à carnis, & à vino abstinentium decrevimus.* Pro cujus textus expositione sciendum est, vetustissimum esse Ecclesiæ morem supplicationes publicas in calamitatibus, & populi pressuris facere, quas Græci Litanias, Latini Rogationes appellant. Concil. Aurel. *1. can. 29. Et 32*. Mogunt. sub Carolo: in duplici autem erant differentia; alia imperatæ, alia statæ. Imperatæ erant, quæ ratione ingruentis periculi, & urgentis necessitatis ad placandum Deum indicebantur. Apud D. Gregorium *lib. 7. indist. 2. epist. 70. ad Cæsarem*, mentio fit quatuor, aut quinque Litaniarum, quæ in Ravennatenf. Ecclesia indicæ fuerunt; & ipse Pontifex urgente aliquâ necessitate non tantum Romanis, sed etiam exteris Litanias indicebat, ut apparet *ex libro 9. regest. indist. 4. epist. 45*. Statæ sunt, quæ certis anni temporibus in universali Ecclesia observantur: & cum hujus duplicis Litanie mentio in jure fit, alia dicitur major, alia minor. Major dicitur non quia prius instituta fuit, sed quia Gregorius Magnus majori cum solennitate eam instituit, ut ipse ait *lib. 12. epist. 12. & in princip. lib. 2. regest. ibi*: *Solemnitas annua devotionis nos, fratres dilectissimi, admonet, ut Litaniam, quæ major ab omnibus appellatur, solliciti, ac devoti debeamus auxiliante Deo mentibus celebrare.* Cujus occasionem referunt Paulus Diaconus *lib. 3. de gestis*

gestis Longob. cap. 11. Gregorius Turon. lib. 10. de gestis Franc. cap. 1. Et cum tempore Childeberti Regis Gallia, & Mauricii Imperatoris accidisset diluvium in finibus Venetiaram, quo non legitur post Noë tempora majus, sequuta est atrox pestis, in qua occubuit Pelagius Pontifex Gregorii Magni prædecessor, qui ad placandum Deum instituit hujusmodi Rogationem, & ab eo tempore cepisse usum apud Catholicos precandi salutem sub ea formula, *Dominus tecum, sternerantibus vulgò creditur.* Sed quam falsò, satis doctè probavit Pater Farnianus Strada in prolus. lib. 3. prælect. 4. Minor Litania, seu Rogatio refertur ex Concilio Aurel. à Gratiano in cap. rogationes, de consecr. dist. 3. his verbis: *Rogationes ante Ascensionem Domini placuit celebrare, ita ut præmissum triduanum jejunium in Dominica Ascensionis solemnitate solvatur.* Eam Rogationem instituit, s. u jam obsoletam institavit Sanctus Mamertus Vicennensis Episcopus propter cladem à lupis, & aliis feris animalibus in partibus Galliaë illatam, ut constat ex Adone in Chron. Sydoni lib. 7. epist. 1. ad Sanctum Mamertum; de quibus etiam agitur in Concil. Mogunt. can. 33. Fuertunt & olim in Hispania alia Rogationes à die iduum Decembris ut constat ex Concilio Tolet. can. 5. Tolet. 6. can. 2. Brachar. 2. can. 9. & etiam Kolend. Novembr. de quibus in d. can. 3. Concilii Gerund. Deinde sciendum est, has Rogationes tribus continuis diebus magnà populi consensione celebrari orando, jejunando, & psallendo,

ita castè, & piè, ut in Concilio Moguntiacò sub Carolo Magno dicatur celebrandas esse, sicut Patres sancti nostri instituerunt; non equitando, nec pretiosis vestibus indutis, sed nudis pedibus, cinere & cilicio indutis: quare & Rogationum dies laicis denunciandos esse inter Missarum solennia statuit Concilium Lugdun. relatum in cap. 1. de consecr. dist. 4. Plura de his Rogationibus congesterunt Savarus in not. ad Siden. d. lib. 7. epist. 1. Mehardus in not. ad lib. Sacram. D. Gregorii, fol. 155. Loayfas in dicto can. 3. Concilii Gerund. Petrus Gregorius lib. 1. partit. iii. 20. cap. 3. Baronius in martyrol. die 25. Aprilis, Coriolanus in breviar. anno 520. Jodocus Coccius lib. 3. thesauri, art. 7. Antonius August. in epis. jur. lib. 21. tit. ult. Covar. lib. 4. variar. cap. 20. num. 16. Conradus Brunus de carem. lib. 5. cap. 1. Guillelmus Durantius in ration lib. 6. cap. 102. Unde cum jejunium in his Rogationibus per tres dies indiceretur, & in die Dominica jejunari non possit, ideo in d. can. 33. Concilii Gerund. statuitur, ut si incidat dies Dominica in Rogationibus mensis Novembris, transferatur jejunium in aliam hebdomadam, ex traditis supra pro ratione præsentis decisionis. Ex eadem etiam ratione cum Litania minor intercedat tempore Paschali prope ascensionem, ideo jejunium illius non tam præcepti, quam consuetudinis est; ideoque diuturnà consuetudine receptum est, ut in his tribus diebus illius Rogationis, tantum ab ecclis carnalibus fideles se abstineant, & cibis Quadragesimalibus utantur.

C A P U T II.

Idem (a) Bracharensi Episcopo.

Consilium nostrum super quibusdam articulis requisisti, utrum in omnibus sit Apostolorum vigiliis jejunandum, cum quidam asserant non esse jejunandum in omnibus, sed sex tantum. Utrum etiam jejunandum sit in Adventibus, jejunandum esse tunc temporis, quibusdam dicentibus, sed paucioribus, jejunandum esse tunc temporis; pluribus verò se asserentibus ad hæc non teneri. Utrum insuper si festum illorum, quorum vigiliis jejunamus, secundà contingat ferià celebrari, in præcedenti Sabbatho sint vigiliae jejunandæ. Nos autem super hoc taliter respondemus, quod apud nos omnium Apostolorum vigiliae in observatione jejunii celebrantur, præter vigiliis Apostolorum Philippi, & Jacobi, & Beati Joannis Evangelistæ; quoniam illorum festivitas infra solennitatem (b) Paschalem; istius autem infra natalem Domini celebratur. Jejunium etiam apud nos in (c) adventu Domini agitur, & sanctorum vigiliis, quorum festivitates oportet secundà ferià celebrari, jejunamus in Sabbatho præcedenti. De festivitate verò Beati Bartholomæi Apostoli, de cujus celebratione dubietas oritur apud (d) quosdam, tibi petenti consilium respondemus, quod in hoc tuæ regionis consuetudinem serves. Et infra: Cum autem quæ sit illis poenitentia injungenda quaeris, qui diebus quadragesimalibus, tempore illo, quo tantæ famis inedia ingruerat, quod magna pars populi propter inopiam antionæ periret, (e) carnes comedere sunt coacti: tibi breviter respondemus, quod in articulo tali illos non credimus puniendos, quos tamürgens necessitas excusavit; preces tamen ad Dominum pro illis, & cum illis, ne ipsi aliquatenus imputetur, quia bonarum mentium est ibi timere culpam, ubi culpa minimè (f) reperitur, effundas. Item de illis qui in Sabbatho juxta terrarum consuetudinem aliarum, propter debilitatem, quam in se sentiunt, carnes sumunt, quod in partibus tuis nullatenus fieri (g) consuevit, cum hoc ab aliis molestè feratur, & oriatur in illis occasio detrahendi: tale

tale tibi damus responsum, quod super hoc tuæ consuetudinem regionis facias observari, sic tamen quod debilibus, & infirmis propter hoc periculum non emergat. Præterea postulasti responsum habere de illis, qui in Quadragesima, (h) vel in aliis jejuniis solemnibus infirmantur, & petunt sibi esum carniū indulgeri, quorum quidam promittunt propter hoc elemosynam se facturos; quidam verò propter necessitatem infirmitatis urgentis hoc à te sibi quasi ex debito concedendum requirunt. Super quo tibi duximus respondendum, quod cum non subiaceat legi necessitas, desiderium infirmorum cum urgens necessitas exigit, supportare (i) potes, & debes, ut majus in eis periculum evitetur.

N O T Æ.

1. (a) **Racharensi.**] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 2. & in cap. consilium. de celebr. Missarum, ubi extat alia pars hujus Decretalis: integram autem transcribo ex dicta tertia collectione, & præsentem epistolam scriptam fuisse ab Innocentio III. anno 1206. referunt Spondanus in *continuat. Baronii, eodem anno*, Orderic. Raynaldus *eod. anno, num. 35.*
2. (b) **Paschalem.**] Quo tempore, sicut nec diebus Dominicis, jejunare non licet, cap. *scire debet, §. inftar, cap. post Pascha, 76. dist.* ex rationibus adductis supra proximo commentario. Nec contrarium docetur in cap. *statuimus 476. dist.* ubi Urbanus Pontifex constituit, ut jejunia quatuor temporum ita per annum distribuantur, ut primum initio Quadragesimæ, secundum in hebdomada Pentecostes, tertium in mense Septembris, quartum in Decembris, more solito fiat: ergo quia tempore Paschali jejunare non licet. Nam respondendum est, tempus illud paschale, intra quod jejunare non licet, computari à Pascha resurrectionis usque ad Pentecosten, ut docent Azor, & Fagundez *ubi supra.* Unde post Pentecosten etiam in ipsa hebdomada jejunari potest, cum jam non dicatur tempus Paschale. Nec huic solutioni obstat textus in cap. *de jejunio, 76. dist.* ubi asseritur, jejunium quatuor temporum non debere celebrari immediate ante Pentecosten in ejus vigilia. Nam respondetur, ideo ibi prohiberi, ne in vigilia Pentecostes incipiat jejunium quatuor temporum, ne in una die duplex jejunium concurrat, unum vigiliæ, aliud verò de tempore; sicut in eodem textu cavetur, ne jejunium decimi mensis celebretur in Sabbato præcedente nativitate Domini; ne etiam duplex jejunium occurrat in eadem die, ut exponit Bellarminus *lib. 1. de jejun. cap. 23.*
3. (c) **In adventu Domini.**] Jejunium adventus Domini jam olim in Ecclesia celebrari consuevisse constat ex Concilio Matifcon. *i. can. 9.* Turon. sub Chariberto anno 567. ejus meminerunt S. Joannes Chrysostomus *homil. 3. in epist. ad Ephesos*, Rabanus Maurus *lib. de instit. cleric. cap. 22.* his verbis: *Hæc ergo auctoritate divine scriptura Ecclesia morem obtinuit, & universale jejunium hac observatione celebrat. Quod tamen jejunium incipiens à nono mense in decimum extenditur, id est usque ad natalem. Congruantiaque dispositione à Magistris Ecclesia hoc loco jejunium quadragesimale constitutum est, ut ante diem natalis Domini jejunio & abstinentia nos castigemus.* Amalarius *lib. 3. de offic. Eccles. cap. 40.* Radulphus Tangrensi. *propos. 16.* quod jejunium institutum fuit pro reverentia natalis Domini: varium tamen fuit pro temporum, & locorum diversitate. In Concilio Matifcon. *i.* celebrato anno 581. statuitur, ut à feria

sancti Martini ad natale Domini, secunda, quarta, & sexta Sabbati jejunetur: *Et lib. 6. Capitular. Caroli, cap. 183.* cavetur, ut Sacerdotes admo- neant, ut jejunia tria legitima in anno agantur, id est quadragesima dies ante nativitatem Domini, & quadragesima ante Pascha, ubi decimas anni solvimus; & post Pentecosten.

(d) **Quosdam.**] Natalem diem S. Bartholomæi plerique ponunt die 11. Augusti, ut Beda, Ulfuardus, Ado, & alii: Romæ autem 17. Kalend. Septembris celebrari consuevisse, referunt Baronius in *Martyrol. die 11. Augusti*, Menardus in *Sacram. D. Gregorii, fol. 175.*

(e) **Carnes comedere.**] Cum diebus Quadragesimæ, & aliorum jejuniorum debeat servari delectus ciborum, ideo statutum est, ut jejunantes se abstineant à carnibus, certis ciborum generibus, in cap. *de esu, de cons. dist. 3. 6.* Synod. *can. 56. Concil. Tolet. 8. can. 9. Gerund. can. 3. cap. statuimus, de consec. dist. 4. Mediolan. sub Carolo tit. de jejunio.* Probant Bellarm. *lib. 1. de jejun. cap. 4. Azor d. lib. 7. cap. 10. quest. 3. 6. Fagundez in 4. præcept. Eccles. lib. 1. cap. 2. Lessius lib. 7. cap. 2. dubi. 5. D. Thom. 2. 2. quest. 147. artic. 8. Covar. lib. 4. summa. cap. 20. num. 15. Henriquez in summa lib. 3. cap. 13. Viringus lib. 3. de jejun. cap. 5. Theophilus tom. 10. in Rosa Mediana, fol. 465. & de galero & pileo fol. 491. Ciaconus de jejunio cap. 11. Fileiacus de Quadrag. cap. 3. Ecclesia enim his diebus cibis ita delicatis, & lautis abstinere jussit, ut carnis luxuria frangeretur. Concil. Colon. sub Clemente VII. *decret. 7.* non quia cibos illos delicias Ecclesia rejiciat, ut Saturninus, & alii hæretici execrati sunt, quos sequuti fuerunt Manichæi, Priscillianistæ, Marcionistæ, & alii, qui damnati fuerunt variis Ecclesie canonibus, præcipue canone 30. Apostolorum. Synod. Ancyr. *can. 13. Concil. Tolet. in assert. fidei, Brachar. t. can. 13. 32. Gangrense can. 2. & eos resellunt Turrianus lib. 5. pro epist. Pontif. cap. 6. Baronius anno 57. num. 183. Sever. Binius in dicto can. 2. Concilii Gangrensis, Savarus in notis ad Sidonium, lib. 4. epist. 9.**

(f) **Minimè reperitur.**] Consonat D. Gregorius relatus in cap. *final. 5. dist. Clemens in Clement. exvvi de V. S. Guntherus lib. 2. Legum. ver. 33.*

(g) **Fieri consuevit.**] Ecclesia enim Hispaniam in jejunio diei Sabbati sequebatur Ecclesiam Romanam, ut probavi in canone 26. Concilii Illib. ubi plura de jejunio Sabbati congesti.

(h) **Quadragesima dies.**] Apud Græcos etiam viget jejunium hoc Adventus Domini, uti constat ex Codino *lib. de offic. Palat. CP.* prout illum expendit Menardus in notis ad Sacram. D. Gregorii, pag. 216. Sed non ita apud eos antiquum est, iniquidem nec tempore Theodor. Balsam. in usu erat, qui floruit anno 1191. & in canone 52. Sextæ Synodi ita ait: *Nota autem ex hoc canone, quod*

quod proprie est una Quadragesima. si enim alia esset, cautum fuisset, ne in illa fieret sacrum mysterium; sed per praesantificata: quomodo modum quoque, cautum est, ne fiat in magni Pasche Quadragesima.

(1) *Supportare potes.* Qui enim sine causa jejunia Ecclesiae non observant, peccant lethaliter, & graviter puniendi sunt, cap. si quis eorum, dist. 30. Concil. Tolet. I. apud Burchardum lib. 19. decreti, cap. 76. ibi: *Quicumque in Quadragesima diebus esum carniū prae-sumpserit attentare, non solum reus erit Resurrectionis Dominicae, verum etiam alienus ab ejusdem diei sancta communione; hoc illi cumuletur ad poenam, ut in ipsius anni curriculo ab omni esu carniū abstinere, quia sacris diebus abstinentia*

oblatus est disciplinam, Concil. Mogunt. sub Leone III. can. 35. Colonienf. sub Paulo III. p. 9. cap. 6. plura Theophilus in *Rosa Mediana*, fol. 470. sed si adit iusta causa excusationis, veluti aetas, vel infirmitas, excusantur non jejunantes, ut late probant Paulus Zachias *99. medicolegal. lib. 5. tit. 1. & consil. 58.* fusc. Joannes Sanchez in *select. disput. 54. per tot.* Narbona de etate, anno 60. *quest. 2.* In hac tamen parte severiores fuerunt Patres Ecclesiae Orientalis quam Occidentalis; nam in Orientali pueri, & viatores jejunare cogebantur; aegrotis vero non aliter esus carniū concedebatur, nisi licentia synodice petita, ut constat ex D. Basilio in *orat. de jejunio*: & notarunt Balsamon in *can. 69. Apostolor.* Cironius ad hunc titulum.

CAPUT ULT.

Honorius III. (a) Pargensi Episcopo.

Explicari per Sedem Apostolicam postulasti, utrum illis sic licitum, qui nec voto, nec regulari observantia sunt adstricti, carnes comedere, quando in sexta feria dies Dominicae nativitas occurrit. Ad hoc tale damus responsum, quod illi, qui nec voto, nec regulari observantia sunt adstricti, in feria sexta, si festum nativitas Dominicae ipso die contingerit venire, carnis propter festi excellentiam uti possunt, secundum consuetudinem Ecclesiae generalis; nec tamen hi reprehendendi sunt, qui ob devotionem voluerint abstinere.

NOTAE.

(a) *Pargensi.* Ita legitur in quinta collectione, sub hoc tit. cap. final. sed ut ibi notavit Cironius, legendum est *Pargensi*, ut legitur in sexta collectione, de qua Ecclesia nonnulla notavi in cap. 9. de exceptionibus. Episcopo Biletsilao missa est praesens decisio, & etiam ei rescribit Honorius in cap. 2. de rebus Eccles.

COMMENTARIUM.

ILLuxit orbi felicissimus dies, quo de utero virginali B. Mariae Verbum Dei prodiit caro factum. Verba sunt Concilii Toletani. cap. 2. quae desumpta videntur ex testimonio D. Joannis cap. 2. praedicto a Prophetis, & Sibyllinis carminibus praecognito, ut observat Baronius in *apparatu ad annales*, num. 28. ut tanquam impotiores damnandi sint Cardonistae, qui filium Dei humanam carnem assumpsisse negabant, ut refert Castro *adversus haereses, verbo Christus, haeresi 2.* Et similiter rejiciendi sunt Manichaei, qui humanam Christi humanitatem negabant prope annum 277. ut refert Gualterus in *chron. saecul. 3.* Nocte autem Christum Dominum natum fuisse, constat ex cap. Lucae, cap. nocte, de consecr. dist. 1. die 25. mensis Decembris, ut probat late Jacobus Grethferus *de die natali Domini*, lib. 1. cap. 4. Tamayus a Salazar in *Martyrol. Hispan. die 25. Decembris.* Unde corrigendus est locus D. Clementis lib. 5. *constit. Apost.* cap. 13. qui de hoc natali agens, ait: *Dies festos custodite fratres, imprimis diem natalem, qui celebratur a nobis die 25. noni mensis.* Ubi legendum est, *decimi mensis*; hic enim erat mensis Decembris juxta annorum computationem D. D. Gonzal. in *Decretal. Tom. III. Pars II.*

nam a Romulo institutam, & servatam usque ad Julium Caesarem, ex traditis a Macrobio lib. 2. *Saturn. num. 22.* Rosino lib. 4. *de antiquit. Rom. cap. 1.* quibus autem Consulibus, qua olympiade, quo anno a mundi creatione id factum sit, non facile liquet, cum in re adeo antiqua, & pervertuta omnes historiae caligine referta appareant. Genebrardus natalem Domini diem protrahit ad annum creationis mundi 4089. sed ex receptiori PP. consensu refert Baronius ubi supra, Christum natum anno creationis mundi 5199. olympiade 187. anno 2. idque probat late Peresius in *Danielem lib. 11. q. 5.* & post eos Gualterus in *tabulis chron. saeculo 1.* In re certe tam lubrica, quod plures probant, verosimilius judicamus. Dies igitur hic natalis Dominicae qua universus orbis pace, & tranquillitate frui coepit, magna debuit laetitia, & anniversaria festivitate a fidelibus recolli, cum legamus dies natales, hoc est, quibus quisque nascitur, l. *qua aetate 5. ff. de testam. l. 3. §. minore. ff. de minor.* jam olim celebrari solitos annuatim. Unde D. Augustin. *sermone 1. de tempore*, ait: *Considerate queso, quando aliquis homo potens, aut nobilis, natalem suum, aut filii sui celebrare desiderat, quanto studio ante plures dies quicquid in domo sua sordium invenerit, ordinat emundari; quicquid ineptum, & incongruum, projicit; quicquid utile, & necessarium, praecipit exhiberi. Domum etiam si obscura fuerit, dealbat; pavimenta scopis mundat; & diversis respersa floribus adornantur: quicquid etiam ad laetitiam animi & corporis delicias pertinet, omnia sollicitudine providet. Quem ritum religiose coluerunt imprimis Persae, ut tradunt Herodotus, & Athenaeus: Romani, & pleraque aliae gentes observarunt, ut referunt Censorinus *de die natali*, P. Roa lib. 5. *singul.* inscripto de die nata-*

natali sacro, & prophano, cap. 3. Lyndembrogus in notis ad Censorium, Pineda de rebus Salomonis, lib. 1. cap. 14. Faciuntque textus in l. cum quidam 25. ff. de annua legat. l. cum plures, §. cum tutor, ff. de administr. tut. l. sed socer 31. §. 5. ff. de donat. inter. De die natali sui Macenatis agit Horatius lib. 4. carminum, od. 9. De natali magnorum virorum Seneca epist. 64. De aliis Roa d. lib. 5. cap. 16. Et 17. ubi notat, ad urbes & templa morem hunc protractum esse, ut anniversariis festis eorum initium celebretur: quæ cum ita procedant in aliis natalitiis, multò majori ratione nativitas Salvatoris nostri, quæ gaudium attulit universo mundo, magna alacritate à fidelibus singulis annis recoli debet, ut pro tanta largitatis beneficio, quod Deus hominibus contulit, gratias referant illi sempiternas. Unde provenit, ut plura privilegia veterum natalitiorum huic magnæ dicitur sint, aliaque singulata huic festivitati concessa legantur.

Primum hujus diei privilegium in eo consistit, ut festivus sit, cap. 1. de consecrat. dist. 3. cap. final. de feriis, l. omnes 7. C. eod. tit. & ab omni opere servili vacuus, ab strepituque judiciorum immunis, ut docuerunt D. Clemens lib. 5. const. cap. 13. supra relatus Isidorus lib. 1. de divin. offic. cap. 15. ibi: *Natales dies Domini à Patribus vestra solennitate institutus est.* Leo Magnus in sermonibus de natali Domini, D. Basilii, Ambrosii, & Nazianzi, quos refert Bellarminus tom. 2. controver. lib. 3. de cultu Sanctorum, cap. 13. Unde ab ipsis Apostolis institutum hunc festum diem conjiciunt Azor part. 2. in 2. moral. lib. 1. cap. 9. quest. 15. Suarez tom. 1. de relig. lib. 2. de diebus festis, cap. 5. num. 6. Gualterus in tabul. chronog. sacul. 1. fol. 5. tantaque fuit hujus diei festivitas apud antiquos, ut in Concilio Agathensi can. 64. relato in cap. si quis in Clero 29. 7. quest. 1. constitutum sit, ut clericus, qui ab Ecclesia abfuerit die solenni natalis Domini, per triennium suspendatur à communione: Hoc autem privilegium etiam veterum natalium fuisse constat, siquidem natales dies Principum feriati erant. Plato in Alcibiade, ibi: *Postquam verò natus est primogenitus, qui succedit in regno, primò quidem eum diem omnes, qui sub regno sunt, celebrant; atque ita in posterum quotannis natalem Regis diem sacris, ac festis omnis Asia colit.* Martialis lib. 10. epigr.

Linguis omnibus, & favete votis:
Natalem colimus, tacete lites.

Horatius de natali Cesaris:

cras nato Cesare festus
Dat veniam, somnumque dies, impune licebit

Astivans sermone benigno tendere noctem.

Unde intelligendus est textus in l. dies 12. C. de feriis, ubi dum Imperatores Leo, & Anthemius prohibent ludos Circenses, aut quodlibet aliud spectaculum die Dominico exhiberi, hæc verba adjiciunt: *Et si in nostrum ortum, aut natalem solennitas incidit, differatur.* Ubi verbum natalem, pro die proprio natalitio apposuerunt; ortum verò pro die inaugurati Imperii acceperunt, cum eo die nasci veteres dicerent eos, qui novam dignitatem assequerentur. Cicero in oratione pro reditu ad Quirites, ibi: *A parentibus, quod necesse erat,*

parvus sum proceratus; à vobis natus sum Confularis. Illustrat Turnebus lib. 2. aduers. cap. 4. Sic & Imperii ortum dixerunt Imperatores in l. omnes 7. C. eod. tit. ideoque magnà solennitate dies natalis Imperii celebrabatur, ut probat Buleng. lib. 3. de Imper. Roman. cap. 3. Lælius Bisciola lib. 3. horar. success. cap. 11. Prohibent igitur Imperatores in d. l. dies, ne ludi celebrentur in die sui natalitii, vel ortus Imperii. Uti utque etiam diei solennitatis mentio fit in d. l. omnes 7. in illis verbis: *Nostris etiam diebus, qui vel lucis auspicio, vel ortus Imperii protulerint.* Quæ constitutio extat in l. 2. C. Theodos. de feriis l. die Dominico, C. de spectacul. ubi cavetur, his diebus quiescere lites, juraque eis velut sacris deferre. Sic enim legendum est in d. l. 7. non differri; notavit Gothofred. ibi. De hoc enim natalitio Principis accipiendus est textus in l. sed etsi 28. §. si feria, ff. ex quibus casu majoribus; adeoque feriatus, & solennis habebatur apud veteres dies natalis; ut legatum relictum pro eo celebrando, annum & perpetuum intelligeretur; ex eo solum, quod pro die natali relinqueretur, l. cum quidam 23. ff. de annua legat. quod non sine dubitandi ratione admittum fuit: tum quia in dubio creditur, voluisse testatorem legando minus gravasse heredem, l. unum, 68. ff. de legat. 2. imm quia legatum non presumitur annum, aut reterabilis, sed unius tantum præstationis; ut post Bartolum in l. legatum, oppos. 1. ff. de annua legat. docuit Menochius lib. 4. de præsumpt. præsumpt. 132. argumento textus in l. boves, §. hoc sermone, ff. de V. S. at ob celebratam diei natalitii potius creditur legatum annum, & perpetuum. Cujacius lib. 23. observ. cap. 7. sicut etiam perpetuum legatum creditur relictum ad festum certaminis in honorem Apollinis faciendum, l. penult. ff. de annua legat. præcipue quia plerumque testatores cavent ut dies natales eorum celebrarentur epulis; aut aliquibus distributionibus inter cives; aut Decuriones factis. Plinius in epist. ad Can. Ruffum, ibi: *Epicurus testamentò cavet, ut dies eius natalis, & parentum, fratrumque quotannis solenniter ageretur.* Cicero lib. 2. de finibus, ibi: *Res tanta; Torquatis, non doctorum hominum, velle post mortem epulis celebrari memoriam nominis sui.* Quos quidem dies, quemadmodum agatis, & in quantam hominum fræctorum urbanitatem incorporatis, non dico: nihil opus est scribi. Tantum dico; magis fuisse vestrum agere Epicuri diem natalem, quam illum testamentò cavere, ut ageretur. Ad quem legandi morem referri videtur textus in l. et in artibus 112. ff. de legat. 1. l. si præ 74. ff. de legat. 3. l. demonstratio, §. final. ff. de condit. & demonstr. & inscriptio, quam ita xararunt Hieronymus Magius lib. 2. miscel. cap. 2. Gutherus de jur. manium lib. 2. cap. 10.

TRIB. MILIT.
LEGE XV. APOLLINARIS
EX LEG. V. MACEDONIC.
HIC LEGAVIT TESTAMENTO
MUNICIPIBUS. H. S. LXVI. C.
MONET.
UT EX REDDITU
QUOT ANNIS VIII. ID. NOVEMB.
DIE SUO NATALI
MUNICIPIBUS EPULUM,
ET CRUST. ET MULS. DARETUR.
Illustrant

Illustrant Roa d. lib. 5. cap. 11. Dorleans ad Tacitum pag. 527. Stuchius de conviv. lib. 1. cap. 16.

Deinde proprium erat jus festivitatis natalis Domini, ut omnes fideles eo die sacrum susciperent communionem, adeo ut intra Catholicos non haberetur, qui ea in die non communicaret, cap. si non frequentius. 16. cap. 19. & 21. de consecr. dist. 1. Illustrant Suarez 3. tom. de Sacram. disput. 69. sect. 3. Vazquez ad eandem 3. p. disput. 214. cap. 2. Item ut in ea die quilibet Sacerdos tres Missas celebret, ut probavi in cap. consuluimus, de celebr. Missar. Aliud etiam hujus magni diei privilegium est, ut annorum computatio fiat à Christo nato, juxta Dionysium Exiguum anno 532. quod introductum non fuisse usque ad annos 690. notavit Pancirola lib. 2. variar. cap. 141. In Hispania autem fuit specialiter hoc statutum in comitiis habitis Valentiae anno 1309. ut refert Mariana lib. 17. de rebus Hispan. cap. 2. Deinde admissum in aliis comitiis Castellae habitis in urbe Segobienensi anno 1373. idem Mariana lib. 28. cap. 6. Loaysa in not. ad Concil. Illiber. Deinde consensu totius orbis Christiani idem mos fuit receptus, Mariana lib. 2. cap. 6. unde abolita fuit ratio computandi tempora variè apud antiquos usitata; nam olim anni computabantur juxta tempus cujuslibet Regis, Ducisve, ut primus, secundus, tertius annus Regis David. Ceperunt etiam anni ab orbe condito, ut observat Jacobus Gordonus in Chron. period. 60. Gualterus saecul. 4. fol. 130. & tempore, quo instituti fuerunt ludii in honorem Jovis Olympii, de quibus Pancirola lib. 2. var. cap. 46. Tertul. de spectacul. cap. 11. ubi Pamelius schol. 180. Quae computatio fuit postea rejecta; tum quia difficilis erat, ut ait Genebrardus: tum quia absque idololatria rätineri non poterat, cum fuisset introducta in honorem idolorum. Quare eam computatione rejecta per indictiones anni numerari ceperunt. Solebant enim Caesares quolibet decimo quinto anno tributum indicere, quod eam ratione indictum dicebatur, de quo in titulo C. de indict. lib. 12. & apud Pancirolam lib. 2. var. cap. 242. fiebatque tributii indictio die 25. mensis Septembris, à qua anni computabantur hoc modo: indictionis Caesaris annus 1. 2. 3. &c. usque ad 15. ut exposuerunt Baronius tom. 3. anno 312. num. 167. Eusebius in chron. Josephus Scaliger lib. 5. de emend. tempor. cap. de indict. Gualterus ubi supra. Cœpit autem hæc computatio per indictiones ab anno 312. tam à Summis Pontificibus, quam ab Imperatoribus, hoc habito discrimine, quod Imperatorum indictiones incipiebant à die 25. Septembris; Pontificum verò à die nativitatis Domini, ut refert Ciaconius in Isag. de vitis Pont. cap. de indictionum ratione. Fuerunt etiam aliæ temporis computationes apud Romanos, veluti per Consules, per eras, de quibus agunt Christoph. Rufinus lib. 2. consist. cap. 77. Baronius in Martyrol. die 22. Septembris, & 23. Octobris, Covar. lib. 1. variar. cap. 12. Unde constat, quantum, qualeque sit hoc natalis Domini privilegium, ut omnis omnibus illis computandi rationibus ab ea die anni computari ceperint.

Tandem ut ad præsentem textum accedamus, in eo refertur aliud non leve privilegium, D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

gium, videlicet, ut si dies natalis Domini incidat in feria sexta, aut subbarho, liceat eod die fidelibus carnibus uti, cum feria sexta in memoriam passionis Domini jejunium ab Ecclesia indictum sit, cap. jejunia 26. de consecr. dist. 3. can. 68. Apost. D. Ignatius ad Philipp. epist. 8. Tertul. de jejun. cap. 14. S. Petrus Martyr, Episcop. Alex. in suis canonibus, ibi: Non reprehendat nos quisquam quartam, & sextam feriam observantes, quibus nos jejunare secundum traditionem præceptum est. Cujus jejunii rationem assignat D. Augustinus epist. 68. ad Castalam, ibi: Cur autem quartam, & sextam maxime jejunet Ecclesia, ea ratio reddi videtur, quod considerato Evangelio ipsa quarta Sabbathi, quam vulgo quartam feriam vocant, consilium reperitur ad occidendum DEU M fecisse Judæi. Deinde traditus est eâ nocte, qua jam tendit ad sextam Sabbathi, qui dies passionis est. Plura de hoc jejunio sexta feria concesserunt Gæzæus ad Castanum lib. 5. institut. cap. 24. Gothofredus in dissert. Philoborg. lib. 10. cap. 12. Haephtenus disquisit. monast. lib. 6. tract. 7. disquisit. 1. Postea verò consuetudine introductum fuit, ut jejunium quartæ feriæ omnino aboleretur, & ut in sexta maneret tantum imperfectum, hoc est abstinencia à carne: unde privilegium diei natalis in præsentem relatum in eod consistit, ut si natalis Domini incidat in feriam sextam, propter diei festivitatem carnibus vesci liceat; nam etiam in veterum natalitiis non solum Deorum, Principum, sed & Privatorum epulæ solennes erant. Apulejus lib. 11. florid. ibi: Festivum celebravi natalem, sacrorum suaves epulas, & faceta convivia. Martialis epigr. 66.

Sexcenti cenant à se festine vocati,

Lucis ad officium quæ tibi prima fuit.

Diocæsium lib. 54. ibi: Natalem Augusti Julii Antonii filius tunc Prætor celebravit circensibus, & venationibus: Senatam etiam, & ipsum Augustum ex decreto Patrum epulo excepti in Capitolio. Illustrat Roa d. lib. 5. cap. 11. ut etiam consuetudine introductum est, ut in vigilia hujus magni diei collatio in quantitate excessiva fiat, & ex omnibus fructibus, ut referunt Azor lib. 3. instit. moral. cap. 8. ante finem. Cenedo quest. 4. canonic. num. 3. Sed cum privilegium hoc vescendi carnibus sit concessum in favorem fidelium, ipsi inviti eo uti non coguntur, nec erunt reprehendendi eo die jejunantes, argumento textus in cap. utinam, 76. dist. Clement. 1. §. ita, de P. S. Tandem in præsentem docetur, hoc privilegio uti non posse eos, qui regulari observantia, vel voto tenentur à carnibus abstinere, qui eas edere non valent; licet aliqui contrarium senserint auctoritate Epiphaniæ contra hæreticos in fine dicentis: In die Epiphaniarum, id est Apparitionis, & Adventus, quando natus est in carne Dominus, jejunare non licet, etiam si contingat, quod sit feria quarta, vel prope Sabbatum. Item auctoritate Leonis epist. 93. cap. 4. Qui Priscillanistas illo die jejunantes his verbis arguit: Ut per omnia sint à nostra fidei unitate discordes, & dies, qui à nobis in læticia habetur, ab illis in afflictione ducitur. Et etiam ex sententia B. Francisci, qui referente Pisano conformis, fructu 8. cum hæc controversia mora esset, & F. Moricus Francisci discipulus jejunandum dicere,

ceret, respondit Sanctus *Petrus frater Morice*,
diem Veneris vocans diem, quo parum est nobis puer
Jesus: volo quod es parietes tali die comedant carnes, si
fiere potest, vel de foris liniantur. Quibus moti au-
 ctoritatibus aliqui Religiosi putabant licere carni-
 bus vesci, cum dies natalis Domini in feria sexta
 incidit: quos refellit Wadingus in *not. ad regulam*
S. Francisci, cap. 12. ubi exponit predictam Sancti
 auctoritatem: Si autem qui emisit votum abstinendi
 à carnibus die veneris, non cogitavit de eventu
 natalis Domini ea die occurruri, non tenetur ab-
 tinere à carnibus, ex sententia Molinæ de *justitia*
diff. 272. Azorip. *1. inst. lib. 11. cap. 20. q. 3.* tamen
 quoad hoc postremum dissentiant Sanchez *cap.*

illo 11. num. 61. & Vazquez *7. 2. d. 30. cap. 4.* quorum
 sententiam tutiorem putat Suar. *lib. 2. de voti, cap.*
20. num. 7. Apud Græcos tamen Lucas Patriarcha
 in Synodo sub Emmanuele Comineno absolute, &
 absque ulla limitatione consultus ab Emmanuele
 Comineno Imperatore, respondit, virum nobilem,
 qui juraverat feria qualibet tertiâ jejunare, & car-
 nibus abstinere, non teneri juramento ac carnibus
 vesci permitti, eo quod non congrueret diei sancto
 Paschæ, quâ letari convenit, abstinere carnibus
 & servare jejunium, ut habetur apud Balsamonem
ad can. 29. epist. canonic. S. Basilii ad Amphilo. &
 notavit Theophilus Raynaud, *in tract. de gladiis*
pileo, fol. 591.



TITVLVS XLVII

De purificatione post partum.

CAPUT UNIC.

Innocentius III. *Armach. (a) Archiepisc.*

Volens fraternitas tua per responsionem Apostolicam edoceri, humiliter à no-
 bis expetiit, utrum mulieres statim post partum debeant Ecclesias ingredi, vel
 ab earum ingressu per dies aliquot abstinere. Licet autem secundum legem Mo-
 saicam certi dies determinati fuissent, quibus mulieres post partum à templi cessa-
 rent ingressu; qui tamen lex per Moysen data est: gratia, & veritas per JESUM
 CHRISTUM facta est: nos Sanctorum Patrum vestigiis inhaerentes, taliter tibi
 duximus respondendum, quod postquam umbra legis evanuit, & illuxit veritas
 Evangelii, si mulieres post prolem enixam aeternæ gratiæ Ecclesiam intrare voluerint,
 nullâ proinde peccati mole gravantur, nec Ecclesiarum aditus est eis aliquatenus
 denegandus, ne penam in culpam convertere videamur. Si tamen ex veneratione
 voluerint aliquandiu abstinere, devotionem eorum non credimus improbandam. Da-
 tum Laterani.

NOTÆ.

(a) **A**rmach. J. Ita etiam legitur in tertia col-
 lectione, sub hoc tit. cap. unic. & in epi-
 stolis Innocent. editis à Sirleto, fol. 30. ex quo
 registro ita restituit litteram hujus textus. De
 diœcesi Armachana nonnulla notavi in cap. quod
 scripsit, de elect.

COMMENTARIUM.

EX hoc textu sequens communiter deducitur
 assertio. *Mulier post partum statim potest in-
 gredi Ecclesiam, nec tenetur abstinere per aliquot
 dies, secundum legem Mosaicam.* Probant eam
 textus in cap. cum enixa, cap. ad ejus, cap. si
 mulier, 5. dist. Carolus, & Ludovicus lib. 6.
 Capitul. tit. 204. ibi: *Cum enixa fuerit mulier,
 post quot dies debeat Ecclesiam intrare, Testamenti
 veteris præceptione didicimus, ut pro masculo die-*

*bui 33. pro femina autem 66. debent abstinere:
 quod tamen, ut ait S. Gregorius, sciendum est,
 quia in mysterio accipiunt; nam si hora eadem,
 qua genuerit, actura gratiam intrat Ecclesiam,
 nullo peccati pondere gravatur. Vduplex etenim
 carnis, non dolor in culpa est. In carnis autem
 commixione voluptas est, in prolis vero prolixa-
 ne genuitur: unde & ipsi in primo matrimonio di-
 citur: In doloribus paries. Sitaque enixam mu-
 lierem prohibemus Ecclesiam intrare, ipsam ei pa-
 nam suam culpam deputamus. Heraldus Episco-
 pus Turon. cap. 60. *Mulier post partum statim
 ut voluerit, nisi forte sit adultera, intrat Eccle-
 siam, ac DEO referat gratias.* Illustrant ultra
 congestos in præsentia Barbosa, & Garanna,
 Parladorius lib. 3. *rerum quatuor, different. 5.
 num. 2.* P. Gregorius lib. 2. *synag. cap. 1. num. 9.
 Franc. Valens in concord. jur. tom. 2. notat. 4.
 fol. 234.* Landmeter. lib. 2. *de veteri mon. cap. 76.
 Lindembrog. in notis ad Censorium, de die na-**